

## CAPUT XXXV.

## DE FUNDATIONE CARTHUSIAE LOVANIENSIS.

Walterus Henrici dictus Wattelet, praepositus Malbodiensis et scholasticus divae Gudilae, quondam cantor et capellanus illustrissimi Caroli Burgundiae ducis, emit fundum et curiam in parochia S. Jacobi, continentem circiter quatuor bunnaria terrae, cum domibus et horreis, quae contulit Ordini Carthusiensi, ut ibidem inchoaretur monasterium novum Ordinis Carthusiensis.

Et commisit administrationem hujus curiae domino Henrico de Duveland, priori domus beatae Catharinae juxta Antverpiam. Qui prior a senatu Lovaniensi impetravit immunitatem ab accisiis et aliis oneribus, et a capitulo S. Petri, ut locus deinceps non solvat decimas.

Quo tempore Joannes Overhof, civis Antverpiensis, misit pro nova constructione sexcentos florenos sancti Andreae. Et domina Margarita, vidua Caroli ducis, anno 1489 posuit in multorum praesentia primum lapidem. Sed propter bella patriae parum successit.

Eodem anno Lovanii obiit Ægidius de Platea, sacrae theologiae licentiatus, archidiaconus Hannoniae, qui bona sua legavit monasterio S. Agnetis in Gandavo, monasterio sanctimonialium in Sichene et novo monasterio Carthusiensi Lovanii, si intra tres annos inchoetur. Quo legato pressi patres Lovanium miserunt ad inchoationem conventus Joannem Scullineck, Joannem Vekestel et fratrem Nicolaum, cocum. Et primum in summa paupertate vixerunt cum colono et uxore, famulo et ancilla in eadem culina. Sed paulatim Deus eis per varios benefactores providit, inter quos præcipuus fuit praedictus Johannes Overhof, quondam redditarius domini de Nassouw.

Anno 1503, in capitulo generali, domus Carthusiae Lovaniensis incorporata fuit Ordini, et domus beatae Mariae Magdalena sub cruce in Monte Calvariae nominata.